

## CONSILIUM CONFERENTIARUM EPISCOPALIUM EUROPAE

L'Arcivescovo di Marsiglia, Mons. R. Etchegaray, eletto Presidente del CCEE, con lettera del 1° aprile 1971 ha fatto pervenire copia delle seguenti norme direttive del Consiglio, che si portano a doverosa conoscenza dei Vescovi.

### NORMAE DIRECTIVAE

#### *Finis*

Finis CCEE est, ut ad bonum Ecclesiae promovendum ac tuendum (*Christus Dominus*, 38), in mundo ad unitatem tendente, exerceatur affectus collegialis et arctior coniunctio inter C.E. Europae.

CCEE nullam habet potestatem iuridicam in C.E. vel Ecclesias particulares, fovet vero cooperationem inter C.E. eisque servitio esse debet.

#### *Media*

Ad hunc finem assequendum CCEE curat, ut C.E.

- a) sibi invicem communicent praecipuas agendi rationes, praesertim in re et actione pastorali;
- b) transmittant scripta et folia, quae decisiones C.E. referant vel acta et documenta quae ab Episcopis communi consilio eduntur;
- c) significant varia apostolatus incoepa, a C.E. proposita vel commenta, quaequae utilia esse possint in casibus similibus;
- d) proponant graviores quaestiones quae, hodiernis temporibus et particularibus adiunctis maximi momenti esse videntur;
- e) indicent pericula vel errores in propria natione serpentes, quae in alios etiam populos irrepere possint, ita ut apta et opportuna subsidia adhibeantur ad illa praecavenda vel auferenda vel coarctanda et his similibus (*Ecclesiae Sanctae*, 41, § 5).

Ad conservandam disciplinam ecclesiasticam C.E. rogantur, ut antequam de mutatione, ad quam ius habent, decretum ferant, mentem finitimarum Conferentiarum exquirant et cum eis cooperentur, ne mutatio in regionibus finitimis repercussionem nocivam excitet.

### *Organisatio*

a) *Membra CCEE* sunt Episcopi delegati a singulis C.E. ad duos annos electi, vel eorum pro casu vices gerentes. Ex regionibus, ubi C.E. non existunt, a Praeside unus Episcopus invitetur.

b) *Praesidium*. CCEE dirigitur a Praeside et duobus vice-praesidibus ab episcopis delegatis inter ipsos ad duos annos electis.

c) *Commissiones et delegati*. CCEE potest pro opportunitate ad casum condere varias Commissiones vel nominare delegatos pro variis sectionibus.

d) *Secretariatus*. CCEE suum secretariatum habet, quem regit Secretarius, ab Episcopis ad duos annos electus.

Secretariatus singularum C.E. cum Secretariatu CCEE documenta et decreta communicant.

e) *Expensae*. Omnes C.E. rogantur, ut pro expensis CCEE pro rata et pro posse contribuant.

### *Conventus*

Ad fines supra statutos statis temporibus vel saltem semel in anno, tempore a Consilio vel a praesidio statuto vel postulante maiore parte membrorum conveniunt episcopi in CCEE a singulis C.E. delegati.

Expedit, ut Conferentiae finitimae, praesertim eiusdem linguae vel similis conditionis socio-culturalis, ad suas sessiones plenarias observatores Conferentiarum finitimarum invitent.

### *Valor statuti*

Hoc statutum valet ad experimentum ad biennium.

25.III.1971.